Quæstio Medica Quodlib. Disput. agit. in Schol. Medic. Die Jouis 13 Nouembris.

D. Joanne Liebautio Doctore Medico, moderatore Prudentiss.

An Pueri Morbosissimi?

Pueritia duobus annorum septenariis definita, licet calore natiuo, longissimæ, et salubrrimæ vitæ authore, quanto post ea numquam, admodum vegeto, ac plane roseo, cum calore humidum, sit prædita, omnibusque animæ facultatibus ac potentiis, ac in ulla alia ætate sit instructa: tamen ob animi indocilitatem, et cupiditatibus plus addicti impotentiam; ob innatam corporis temperamenti, quod illi non temperatum, sed calidum humidum, verisimile inest, in quo, et prima ætate pueri, et hic ætati proximi optime degunt; ob copiosum triplicis substantiæ effluuium; ob habitus mollitiem, varios, tum animo, tum corpore grauissimos, periculosissimos, ac semi iudicabiles morbos experitur.

Puerulos vix vtero egressos, hæc circumueniunt incommoda: labores in partu; vagitus; et umbilici abscissio: rictus naturæ, ad septimum vsque mensem, vlcera per totam faciem, caput et frontem serpentia; et saliuationes multæ, futuræ valetudinis indices; aphthæ raræ, minus tamen et malignæ, quam in adultis, vomitiones crebræ, et plurimum salutares, singultus frequentes, tum a ventriculo, tum a thorace prodeuntes; et vigiliæ perpetuo lethales, et somnus semper salutaris; somnia terrifica, phantasmatibus plena; et risus citra causam; coryza; tussis; et anhelitus difficultates, semper funestæ; aurium excrementa, non minus quam palati, et narium; in bonis habenda; tormina, lacte potius, quam mithridatio, aut opiatis, demulcenda.

Pueris septimum mensem agentibus, dentes, omnes quidem iam geniti, et conformati in vtero, dum incipiunt erumpere, dolores; febres; conuulsionesque oboriuntur, minores tamen, quo dentitio cita est, aut si fluxus aluus; aut aluus lubrica est; majores vero quo contra, aut pueri habitiores sunt, aut somno longiore vtuntur, alui profluuio dentitionis comes, nullo modo supprimendo: eisdem absoluta dentitione, a bimatu, ad septimum annum prouectis, febres omnes grauiores, potissimum synochi, et ephemeræ; hecticæ nunquam, consultio frequentes [illegible], a siccitate, pubertati minus funestæ, quam viris: Epilepsia potius a flatibus, quam ab humore crasso, plane lethalis; apoplexia nunquam; ἀγλυδία, μογιλαλία, τραυλότης, quæ hereditatem habent comitem, nunquam curabiles; sperabiles, quæ nimiam cerebri, aut linguæ humiditatem, aut membranæ linguæ subiacentis astrictionem sequuntur; atrophia; macies; et cachexia, non solum vitiosi alimenti, aut prauæ viscerum diathesis, sed et fascinationis soboles; strumæ, non modo glandulosæ, sed et musculosæ partes thoracis, brachiorum, et tibiarum obsidentes, plurimæ contagiosæ.

Pueris ab initio ad finem secundi septenarii, molestissimæ variolæ et morbilli veteribus incogniti; non a reliquiis sanguinis menstrui, sed ab aëre pestilenti ortum habentes, faciem, manus, pedes præ reliquo ~~tempore~~ corpore defœdantes; a quibus nullus fere hominum liber, aut sex, saltem semel in vita potest euadere; calculus vesicæ, masculis potius, quam puellis, et renum calculus, potius senibus, quam pueris familiaris; lumbrici, non modo extra vterum, sed et in vtero, non in partibus vitalibus, et ventriculo; sed et in toto reliquo corpore, potissimum in intestinis, non ex stercore, sed ex sola pituita, aut cruda, corrupta, vel dulcibus alimentis, autumno et hora diei vespertina potius, quam alio tempore, geniti; lati, pingues, viui, deteriores prauis, gracilibus, mortuis; vrinæ incontinentia ob somnum longiorem, licet somnus rhumatismos questus, præter sudores, sistere soleat; hydrocephalos, tum in vtero, tum extra vterum, ob vapores, et [illegible] sanguinis [illegible] in caput.

Et morbis non est facile mederi, per naturæ infirmitatem, et refractariorum puerorum ingenium; quibus, licet humida carne præditis, fames perferenda non est, sed victu humidiore, et paulo pleniore recreandi, quo impetus morborum facilius sustineant. A catharticis abstinendum; multis, capra, non [illegible], aut cucumeribus et [illegible] comedentibus: sed blanda, et benigna cathartica, qualia sunt cassia, manna, tamarindi, medulla carthami, [illegible] sumentes, præbere lactentibus purgatio: prouectioribus clysterum, aut blandorum catharticorum, vel ciborum medicamentosorum usus præscribendus: Pauca aut nulla sanguinis missio, nec nisi post trimatum; cuius vicem tuto supplere possunt hirudines admotæ brachiis, aut cruribus; vel cucurbitulæ affixæ lumbis, natibus, aut cruribus, nunquam vero partibus superioribus. Calculus vesicæ extrahendus facta sectione in perinæo potius, quam sub ilibus. Hernia ~~[illegible]~~ relaxati, aut rupti peritonæi soboles, si inueterata sit pyrotico, nunquam vero abscissione testium, curanda.

Pueri Igitur morbosissimi.

Defendebat Nicolaus Jabot Rhemus, 1585.

F.M. BIBLIOTHEQUE

Domini doctores disputaturi.

M. Barthólomæus Perdulcis. M. Andreas du Breil. M. Antonius Duval.

M. Bonauentura Grangier. M. Claudius Bazin. M. Guerrius Arragon.

M. Joannes Martin. M. Henricus Blacuod. M. Lazarus Chenot.